

Eodem Anno in Calendis Octobris incipiendo in XIII. diebus octo columnæ in Ecclesia Sancti Johannis erectæ sunt, de quibus unam una die in Porta Aurea ~~hinc hinc~~ erexit. Et tunc ordinatum est, quod unaquæque Familia in singulis Calendis mensum unum denarium ipsi operæ daret, & fundata est Ecclesia Sancti Johannis Baptiste.

Anno 1165, Sexto Calendas Januarii magna pars Kinficæ, scilicet ab Ecclesia Sancti Christophori usque ad domum Guidonis Boni exusta est. Eodem Anno cœpit murari castrum de Vada, & fuit muratum ab inde ad Annos XVI. & donec murabatur Vadenfes omnibus debitis Datis liberati sunt. Eodemque Anno Parafion ~~quondam~~ Rabbini de Callari expulit de Callari Domicellum Petrum Judicem, qui cum Uxore sua filia Judicis Constantini aufugit ad fratres suos. Pro qua injuria Parafion Judex Turritanus cum fratribus & avunculis suis, scilicet Barile, Ganello, Paulo, & Paganello quondam Ugonis Pagani de Pisis exercitum magnum fecit, & remisit in Callari Petrum Judicem fratrem suum, & illum Parafionem expulit.

Anno 1165, Pisani quatuor solemnes Ambasciatores ad Imperatorem Fredericum miserunt, & X. galæas, & quatuor dromones pro equis portandis ad ipsius Imperatoris servitium. Et fecerunt galæas XVI. pro guardia maris, & flumen Auxaris cavaverunt, & ampliaverunt, & in aliis commodis publicæ res in illo Anno honorificè se habuerunt.

Eodem Anno mortuus est Luca XII. Calendas Maji Octavianus, qui vocabatur Papa Victor. Et alia die electus est ibidem Papa Guido Cremensis, qui postea vocatus est Papa Paschalis. Et Cancellarius Imperatoris, qui eum eligi fecerat, de Luca discedens, ad Burgum Sancti Ginesii ivit, ibique secum habuit Rectores Civitatem Tusciæ.

Eodem pariter Anno Rainerius Gaitani, & Lambertus Grassus Consules, & duo alii Nobiles Pisani iverunt per Maritimam usque Scaplinum, & Borianum, & undique per totam Maritimam, & per vallem Heræ; & subditis prædictis terris & contratis Pisano Comuni, reversi sunt Agnanum castrum Vicecomitum; & in ipsum Consules miserunt: quod usque tunc fieri non poterat; nulli enim usque tunc Consules exierant de Pisis, qui tantum honorem Pisani Communis crevisent.

Item eodem Anno Parafion Judex Turritanus cum fratribus & avunculis suis Pisani, Barile scilicet, Ganello, Paganello, & Paulo, & Domicellus Petrus Judex de Callari, frater Judicis Parafionis de Turri, fecerunt magnum exercitum contra Parafionem Judicem Arboreæ pro multis injuriis, quas eis fecerat. Et mense Aprilis in Arboream intraverunt, palatia, & domos, & omnia bona comburentes, viros & mulieres, & spolia inde plurima abstulerunt. Parafion itaque Judex Arboreæ cum sua

A uxore fugit ad mansionem de Capre, & ad Imperatorem Fredericum, & ad Januenses nuntios misit, qui si eum vindicarent, & totam Sardineam ei darent, dare promisit eis multum aurum. Et Imperator misit in Arboream suos Legatos cum septem galæis Januensibus ad ipsum Judicem.

Item eodem Anno mense Maji Ildebrandinus quondam Ranucci Janni Pisanorum Consul ivit in Sardineam, & fecit omnes Judices Sardineæ jurare præcepta Pisani Communis, & treguam præcepit esse usque ad reditum Judicis Arboreæ. Et quia Januenses in Sardineam & galæas miserunt, Pisani & alias miserunt; & sic Nuntii Imperatoris, & Januenses nullam vindictam facere potuerunt. Et sic Judex cum prædictis Legatis Imperatoris cum triginta millibus libris Januam navigavit, & ad Imperatorem Fredericum Papiam iverunt. Eodem Anno IV. Idus Augusti Imperator Fredericus apud Papiam Parafionem Judicem in Regem Arboreæ coronavit: ex quo Pisani valde irati, Consules suos & alios Ambasciatores ad Imperatorem miserunt; & Judex Arboreæ prædictus cum Januensibus, qui cum eo ad Imperatorem iverant, Januam rediit; & habitis a Januensibus libris triginta millibus navigavit in Sardineam, sperans cum suo exercitu non solum Arboream revincere, verum etiam totam sibi Sardineam subjugare. Unde alii Judices dolentes iverunt, & quasi totam Arboream destruxerunt, & habuerunt postea auxilium a Comuni Pisano contra ipsum Judicem, scilicet Consules, & Sapientes plures de Pisanis in sex galæis.

Eodem Anno Christianus Cancellarius Domini Imperatoris venit Pisas die Sancti Andree, & secum duxit Papam Paschalem, qui prius vocabatur Guido Cremensis; & Pisani eum honorificè tenuerunt, quousque ipse Cancellarius duxit eum Viterbum. Cui Papæ quia Villanus Archiepiscopus obedire nolebat, cessit ad Gorgonam. Eodem Anno Pisani Consules, & alii plures Sapientes & Nobiles Viri, Ambasciatores in Alemanniam ad Imperatorem iverunt, & inter alia commoda, quæ pro Imperio, & Comuni Pisano tractaverunt, Insulam totam Sardineam sibi privilegiari pro Comuni Pisano ab ipso Imperatore fecerunt. Et Uguccionem (3) Consulem Imperator ipse, dando ei vexillum, investivit de ipsa Insula, & honoribus, hominibus, & bonis omnibus, presentibus ad hæc Januensibus, & Parafione supradicto, quem coronaverat Papiæ de Judicatu Arboreæ ipse Imperator in Dominum.

Eodem Anno Januenses cum prædicto Judice Arboreæ in Sardineam iverunt cum magno exercitu; sed Pisani illuc currentes, de tota Sardinea & Januenses, & Judicem expulerunt, atque VII. Idus Februarii Januæ applicaverunt. Et quia dictus Judex pecuniam, quam Januensibus promiserat, dare non poterat, ipsum in carcerem posuerunt, & sic totam Sardineam sub

Hæc apud Ugbellum ita narrantur.

(3) Anno Domini MCLXV. Sexto Kalend. Martii Imperator Fridericus in Alemannia Uguccioni Consuli Pisane Civitatis totam Insulam Sardinie in feudum dedit, & inde vexillum in ejus manus commisit. Eodem anno Pisani Consules, qui in Sardiniam cum exercitu ierant, milites & negotiatores Januenses ceperunt, qui illuc contra Pisanos venerant in auxilium Judicis Darzonis, & totam Sardi-

Tom. VI.

niam sub tributo & fidelitate, expulsis Januensibus, posuerunt. Sequenti vero anno, Parazon Judex Turritanus, & Petrus ejus filius, videlicet Caralitanus, & Judex de Galluri in Parlamento suprascripto Pisani in Burgo Sancti Michaelis juraverunt fidelitatem Consulum Pisanorum, & terram pro Comuni Pisano in feudum tenere, & libras sex millia dare, & censum libras 100. & falcones paria 12. pro quolibet anno.

N

* qui tanta comani tantum et honorem pisani cois creverunt